

mendicantes. Imo etiam religio Prædicatorum, ut in eorum gestis refertur, in sui initio bona immobilia possedit, ac proinde mendicans non fuit; non multo vero post, vivente S. Dominico, in primo capitulo generali Bononiæ coacto, constitutionem fecerunt de servanda in communi paupertate, et immobilibus bonis, quæ tunc habebant, renuntiarunt.

9. Unde alia interrogatio insurgit, cur, facta tali constitutione, cœpit esse religio mendicans, quæ non erat, et tamen, revocata illa constitutione, prout in alio capitulo generali, de facto revocata fuit, et privilegio Sixti IV confirmata, ut prædicti auctores referunt, cur, inquam, per priorem professionem ex non mendicante facta sit mendicans, et per posteriorem non desierit esse mendicans, quod est rationem petere illius communis sententiæ, quam supra, n. 4, posuimus, ad religionem mendicantem sufficere, habuisse ex constitutione illam paupertatem, quamvis jam non habeat.

10. Ad priorem partem respondeo, in his rebus moralibus, ut continue durare censeantur, non esse quærendam tantam unitatem et immutabilitatem, quanta in naturalibus rebus invenitur. Una enim et eadem Ecclesia (ut Patres loquuntur) censetur fuisse a principio mundi usque nunc, quamvis in modo unionis et gubernationis magnam diversis temporibus admiserit varietatem; ergo similiter esse poterit una et eadem religio, quamvis illas mutationes successu temporum accipiat. Ratio vero est, quia in his rebus ad unitatem potissime consideratur continua successio personarum aliquo vinculo substantiali, pro ratione talis status inter se unitarum in ordine ad hunc finem, ut in Ecclesia est unio veræ fidei in ordine ad eandem beatitudinem acquirendam, et in unaquaque religione est unio per talia vota, tali modo, seu modo, seu secundum talem regulam, vel constitutiones, emissa in ordine ad talem finem. Quod ergo in una vel altera constitutione fiat aliqua mutatio etiam in materia paupertatis non tollit identitatem religionis, sed mutatio illa accidentalis censetur. Recte autem inde colligitur, divisionem illam religionis in mendicantem et non mendicantem, non esse per differentias quasi substantiales in tali genere, nam possunt eidem religioni pro diversis temporibus et statibus convenire; adjunctis autem aliis circumstantiis, faciunt diversitatem in religionibus, maxime secundum præsentem Ecclesiæ usum.

11. Ad alteram partem respondetur, religioni Prædicatorum, verbi gratia, priusquam profiteretur paupertatem in communi, nihil aliud defuisse ad rationem religionis mendicantis; et ideo addita per constitutiones illa proprietate, proprie ac perfecte cœpit esse una ex mendicantibus. Cur autem postquam illam constitutionem mutavit, non desiit esse mendicans, ratio reddi solet, quia privilegium auferens unum non auferit aliud necessario, juxta leg. *Si domus*, ff. de Servitutibus urbanorum prædiorum, et c. *Ex tuarum*, ff. de Auctoritate et usu pallii, et c. *Pastoralis*, de Privilegiis; ita respondet Lopus, allegat. 4. Est tamen difficilis responsio, quia religionem aliquam esse vel non esse mendicantem, non consistit in privilegiis, sed in substantia, ut sic dicam, vel professione ac legibus talis religionis; privilegia enim, quæ dantur mendicantibus, non faciunt illas mendicantes, sed supponunt; ergo si auferatur intrinseca conditio necessaria ad religionem mendicantem, etiamsi alia privilegia non auferantur, non erit mendicans, vel certe solo nomine et privilegiorum consortio talis poterit appellari; vel dicemus fieri quamdam ampliationem (ut ita dicam) illius vocis, scilicet, ut religio, quæ semel fuit mendicans, talis semper appelletur in ordine ad usum privilegiorum, etiamsi non talis sit; ita ut mendicans nominetur, quæ est vel fuit mendicans; quod tamen non videtur satisfacere, nam hoc nihil aliud videtur esse, quam concedere de facto talem religionem non esse mendicantem secundum præsentem statum.

12. Et ideo addendum videtur, semper talem religionem existimari secundum suam primævam institutionem, nam aliud solum est permissum per modum cujusdam dispensationis, non propter relaxationem religionis, nec mutationem in statum minus perfectum, sed quia propter iniquitatem, vel incommoditatem temporum id judicatum est expedire hoc tempore ad majorem perfectionem in tali instituto conservandam. Unde, quamvis ex dispensatione hoc liceat, nunquam est alienum sed potius magis consentaneum tali instituto paupertatem in communi servare, ubi commode fieri possit; et similiter est consonum tali statui mendicantem exercere quoties oportuerit, et hoc satis est ut secundum præsentem statum talis religio vere ac proprie mendicans sit.

13. *Subdivisio religionis mendicantis.* — Atque ex his expeditur aliud dubium, quæ-

nam, scilicet, religiones sub mendicantibus comprehendantur, et consequenter quot illæ sint, unde etiam constabit quot sint religiones monachales. Possumus autem in communi distinguere religionem mendicantem in eam, quæ nullum dominium bonorum, tam immobilium, quam mobilium, vel se moventium, vel in communi, vel in particulari admittit, et eam, quæ, licet bona immobilia vel redditus non admittat, bona tamen mobilia in communi habere potest. Priorem paupertatis seu mendicitatis gradum profitetur sacra Minorum religio, quæ quoad conditionem hanc potest dici primatum habere inter mendicantes, quia maximam et arcetissimam paupertatem, quoad bonorum dominium, profitetur, juxta c. *Exiit*, de Verbor. signific., in 6, et Clement. *Exiit*, eod. tit. Aliæ vero religiones mendicantes profitentur alium gradum paupertatis, et inde quoad usum ejus aliæ differentie oriuntur, quæ in superioribus tomopæcedenti, tractando de paupertate, tactæ sunt, et inferius, tract. 10, dicendo de Societate aliquid addemus. In particulari vero, quatuor numerantur principales, seu antiquiores ordines mendicantes, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum D. Augustini, et Carmelitarum, capit. unico, § *Sane*, de Religiosis domibus, in sexto, et in constitutionibus Pii V, statim citandis, de quibus, libro secundo in particulari dicturi sumus. Postea vero alii additi sunt monachorum mendicantium, scilicet, ordo eorum, qui *Servitæ* dicuntur, seu servi S. Mariæ, et ordo Minorum S. Francisci a Paula, et ordo S. Hieronymi Jesuatorum. Hos enim omnes mendicantes esse Pius V declaravit sua constitutione 35, *Romanus Pontifex*, ubi solum dicit, se velle ordinem Servorum Beatæ Mariæ quatuor mendicantibus annumerari, et in constitutione 48, *Apostolicæ Sedis*, et 49, *Romanus Pontifex*, annumerat alios duos ordines. Ex ordinibus autem clericorum postea declaravit Societatem Jesu esse mendicantem, in bulla ejusdem Societatis, *Dum indefessæ*. Potest autem notari differentia in ratione, quam reddit; nam de aliis solum dicit dari honestam rationem cur mendicantibus annumerentur, quia actu mendicant, et quia fruuntur privilegiis mendicantium. De Societate autem rationem reddit: *Tum quia bona stabilia possidere nequit, sed incertis elemosynis, fideliumque largitionibus et subventionibus vivit, tum quia non minus quam cæteri mendicantes in excollenda vinea Domini assidue laborant, fructus-*

que ingentes et salutiferos producant, ac propterea eisdem privi egiis, Indultis, etc.

14. *Societas Jesu propriè est mendicans.* — Unde, quod dubitari solet, an minores ordines mendicantes tam vere ac proprie mendicantes sint, sicut antiquiores, in Societate nullam quæstionem habet; nam, ut infra, tractatu sequenti, videbimus, non solum ex constitutionibus, sed etiam ex primæva regula, Pontifici Paulo III, in principio, præsentata, et ab eodem approbata, hoc genus paupertatis profitetur et solemniter voto promittit, et, quod in ea singulare est, alio speciali voto confirmat, quod sui professores faciunt, nunquam consentiendo, quantum in ipsis est, ut hæc paupertas minuatur. Quocirca Societas non tunc cœpit esse mendicans, quando a Pio V favorem illum accepit, sed cum primum in suo instituto approbata fuit. Ut enim religio aliqua sit mendicans in sua substantia (ut sic dicam), solum requiritur ut in ejus instituto approbato paupertas et mendicitas includatur, ut in Societate invenitur; subsequens vero approbatio, quæ in specie fit, magis est quædam solemnitas et expressa declaratio illius proprietatis, et quasi specificæ differentie talis religionis. Unde quoad suum esse non ideo Societas est una ex mendicantibus religionibus, quia Pius V ita declaravit, sed quia ipsa talis erat, ideo Pius V talem esse declaravit, simulque dignam esse ut omnia mendicantium privilegia ei concederentur, quod magna ex parte factum jam erat, et ipse complevit.

15. *Quid de aliis ordinibus dictis etiam mendicantibus.* — De aliis vero novis ordinibus fratrum mendicantium plenum judicium ferre non possum, quia de earum institutis, de modo profitendi paupertatem mihi non satis constat. Et ad veram religionem mendicantem, non satis est actu mendicare, nisi ex vi instituti a Sede Apostolica approbati talis paupertas observetur, vel saltem observanda sit, secluso aliquo dispensationis genere, ut diximus a n. 11. De illis autem religionibus solum dicitur in prædictis bullis, quod mendicant; an vero hoc sit ex vi instituti, vel saltem ita sit consuetudine approbata et confirmata præscriptum, quæ pro regula habeatur, ibi non dicitur. Neque etiam ad veram religionem mendicantem in rigore sufficit gaudere omnibus privilegiis mendicantium, sicut non sufficit ad veritatem religionis gaudere privilegiis religiosorum, nisi res ipsa et substantia supponatur. Quia vero Pius V, in dictis bullis, non tantum dat privilegia et nomen, sed etiam

addit, *Ipsos* (videlicet or lines) *vere mendicantes esse, et sub mendicantium ordinibus esse, et comprehendere debere*, ideo credendum est eos, vel ex vi suarum institutionum habuisse hanc paupertatem, vel certe ex tunc approbatos et confirmatos fuisse ad illam mendicitatem profitendam.

16. *Varietas ordinum non mendicantium.* — Reliqui ergo ordines, extra prædictos, mendicantes non sunt; inter eos vero, ut dixi, quidam sunt proprii monachi, secundum specialem appellationem. Alii vero nec mendicantes sunt, nec proprii monachi, sed activi, vel Crucigeri possunt appellari. Monachorum subinde varii sunt ordines, seu religiones, ex quibus antiquior est D. Basilii, sub qua omnes monachos comprehendimus; in Occidente vero primum locum tenet religio S. Benedicti. Nam, licet fortasse prius D. Augustinus religionem monachorum instituerit, illa tamen nunc saltem in monachi statu non subsistit, et ideo illam prætermittimus, et sub mendicantium Augustiniana familia eam collocamus. Nonnullæ vero religiones monachales, quæ sub regula Augustini militant, ut Præmonstratensis, et S. Hieronymi in Hispania, recentiores sunt, ut infra videbimus, quam religio S. Benedicti, imo et quam aliæ plures religiones monachorum, quæ ex ejusdem Benedicti instituto exortæ sunt, præsertim Camaldulensium, Cisterciensium et Cluniacensium, de quibus in sequenti libro dicemus. Præter hos vero exstat in Ecclesia insignis ordo monachorum Carthusiensium, qui antiquorum anachoretarum vitam et rigorem imitatur, non tamen sub aliqua ex antiquis regulis, sed sub proprio vivendi modo ab ejus fundatore invento, de quo pauca etiam in sequenti libro, cap. 4, attingam. Similiter etiam aliorum ordinum fratrum, qui nec mendicantes, nec tantum monachi sunt, variæ sunt religiones, quæ minus universales, minusque propagatæ in Ecclesia inveniuntur. Inter eos vero duæ sunt in nostra Hispania celebriores, scilicet religio Sanctissimæ Trinitatis, et religio S. Mariæ a Mercede, de quibus etiam in particulari dicemus.

CAPUT IX.

QUOT SINT ORDINES CLERICORUM REGULARIUM.

1. *Divisio in regulares simpliciter, et secundum quid.* — Clericos etiam tempore Augustini videri religiosos secundum quid. — Primum videre possumus statum clericorum regula-

rium, in eum qui simpliciter religiosus est, vel tantum secundum quid. Non desunt enim, qui existimant clericos illos, qui in principio Ecclesiæ, etiam usque ad tempora Augustini, vitam communem agebant cum Episcopis in Ecclesiis cathedralibus, solam paupertatem observasse; alia tamen vota non emisisse, et ideo non simpliciter, sed secundum quid religiosos fuisse; nam D. Augustinus, in duobus sermonibus de vita communi clericorum, et Concilium Aquisgranense, sub Ludovico, c. 112 et 113, ubi iidem sermones referuntur, tantum hanc conditionem vitæ communis, quoad paupertatem clericis cum Augustino in monasterio viventibus servandam proponit. Deinde nihil aliud a suis clericis Augustinus exigit, nisi quod imitentur vitam quam fideles, Apostolorum tempore, observabant, ut Act. 4 et 5 refertur. Constat autem non omnes, qui in communi tunc vivebant, fuisse religiosos, nam etiam conjugati, vel omnes, vel plures, vitam illam communem profitebantur, ut ex generali narratione, et ex speciali facto Ananiæ et Saphiræ colligimus.

2. Verumtamen, licet non repugnet hoc genus vitæ in congregatione tam laicorum quam clericorum servari, tamen quod aliquando fuerit, et præsertim sub Augustini institutione, nec constat, nec verisimile est. Quod patet ex doctrina D. Thomæ, et juribus, c. 7 adductis, et ex c. Præter, 32 dist., ubi clerici communiter viventes religiosi clerici appellantur, et c. Præsens, 20, q. 3, in fine, ibi: *Non putamus Canonicos religiosos* (id est regulares, ut Gloss. exponit) *a sanctorum monachorum vita et consortio sejunctos*; id est, alienos a vero religionis statu. Præterea, quia licet in dictis sermonibus Augustinus solam paupertatem commendat, et proprietatem reprehendat, non tamen alia vota excludit. Quin potius eorum integram observantiam supponere videtur, et quia in paupertate gravis lapsus contigerat, pro ea pugnat; ibi enim non tradit regulam aut institutionem integram, sed concionatur, et solam materiam paupertatis commendandam, et proprietatem propulsandam, veluti in argumentum illorum sermonum assumpsit. In eisdem tamen domum suam *Monasterium clericorum* vocat, eosque suæ regulæ observandæ obligatos fuisse supponit. Quare verisimile non est, eos clericos non multo magis continentiam ex voto observasse, quam ipse Augustinus tanta circumspectione servavit, ut nec sororem secum habere permetteret, dicebat enim: *Quæ enim cum sorore mea sunt, sorores*

meæ non sunt, ut Possidonius, c. 26, in ejus vita refert; unde in c. 11, ait in monasterio Augustini servos Dei servasse *propositum continentiae cum paupertate profunda*. Ex quibus Beatus Augustinus, ab aliis Ecclesiis rogatus, decem venerabiles viros continentis et doctissimos dedit. Unde etiam constat, illius obedientiæ specialiter subjectos fuisse, quod etiam, supposita communi et continenti vita in eadem congregatione, per se evidens est, quia sine obedientia subsistere non possit. Et ob hanc rationem existimo hoc genus vitæ semiregularis (ut sic dicam) non posse habere locum in congregatione clericorum, si paupertatem observet, nam multo magis in eis postulatur castitas, vel eo ipso quod clerici sunt; obedientia vero saltem ex eo quod in congregatione, seu in communitate vivere supponuntur; unde facilius posset cogitari hic imperfectus status ex defectu paupertatis, si congregatio aliqua clericorum castitatem et obedientiam servaret, proprium vero non omnino abjiceret; nullam tamen nobis constat hujusmodi esse, vel aliquando fuisse.

3. *Duplex alter modus clericorum secundum quid religiosorum.* — *Primus modus.* — Ex alio vero capite contingere potest, ut congregatio aliqua clericorum regulariter viventium propria religio non sit, scilicet ex defectu votorum, quia, nimirum, vel non emittuntur, sed solum ex quadam societate vel conventionione humana, aut statutis ab ea provenientibus servantur ea, quæ a religiosis ex voto servari solent; vel, si fiunt vota, non includunt obligationem ad permanendum in tali statu, sed supponunt potius libertatem relinquendi illum, solumque obligant sub conditione, quamdiu ibi perseverare libuerit. Prioris modi dicuntur esse nonnullæ congregationes in Italia, præsertim Romæ, quæ religiosos habent vivendi modos, et perfectos atque illustres viros ex se producant, ad præsentem autem tractatum non spectant, quia proprie religiones non sunt.

4. *Secundus modus.* — Posterioris modi censetur esse congregatio sancti Georgii in Alga, quæ initium Venetiis habuit, et ab Eugenio IV instituta dicitur, sed ab eo potius illustrata fuit, jam enim a Gregorio XII fuerat confirmatus ille vivendi modus, quem Laurentius Justinianus eo jam tempore vita et doctrina multum commendaverat. Pius autem V, suo Motu proprio 75, *Lubricum vitæ genus*, hujusmodi congregationibus, et nominatim huic Sancti Georgii præcepit, aut solemnia vota

sub aliqua regula approbata emittere, aut talem vivendi modum dimittere. Adhuc tamen extat in Lusitania congregatio religiosa, sub appellatione S. Joannis Evangelistæ, quæ eundem vitæ modum absque votis solemnibus retinet. Hujusmodi autem clerici in rigore regulares non sunt, et ita in ipsis bullis Pontificalibus in quibus varia privilegia eis conceduntur, *Canonici sæculares* appellantur. Magis autem ad religionem accedunt, quam qui nulla vota emittunt; nam, quamdiu in tali congregatione perseverant, suntque membra ejus, obedientiam, paupertatem, etc., ex voto servare tenentur. Unde pro tunc, quoad eorum obligationes de illis judicandum est, eadem proportione qua de cæteris religiosis. An vero hic modus libertatis in hujusmodi communitatibus seu congregationibus expediat, ad nos judicare non pertinet; certum tamen est, id ex se malum non esse, esto non sit maxime perfectum ex parte personarum, se offerentium Deo (negare enim non possumus quin vinculum perpetuum saltem ex parte votantis perfectius sit, tum ad constituendum statum, tum ad consecrandam personam Deo). Nihilominus ille etiam modus vivendi et votandi non solum honestus est, sed etiam ad perfectionem assequendam potest esse valde utilis, et sua peculiaribus commoda liberius serviendi Deo, et majori voluntate sustinendi et superandi difficultates, quæ in perseverantia vitæ religiosæ occurrunt, habere potest. Denique ad Ecclesiæ splendorem, et pulchritudinem ac perfectionem pertinet tota hæc varietas, non solum in religionibus, sed etiam in modis vivendi religiosis, qui ad perfectionem juvant; non est enim minor, sed multo major varietas in hominum ingeniis seu propensionibus, et ad suavitatem divinæ providentiæ pertinet omnes congruenter vocare, quos vult ad perfectionem aliquo modo perducere.

5. *Secunda divisio in Canonicos regulares, et presbyteros simpliciter.* — Præterea clericorum religio vera ac propria, tribusque substantialibus votis de se perpetuis firmata, dividi potest in religionem Canonicorum, et presbyterorum simplicium, ut sic dicam. Hæc divisio constat ex usu Ecclesiæ. Est enim celebris et antiquissima religio Canonicorum regularium, de qua an sit una vel multiplex, postea videbimus; certum est autem esse religionem clericorum et presbyterorum; tamen dum specialiter Canonici appellantur, aliquo modo dignitatis vel excellentiæ nomen participare videntur, et in eo distingui a clericis regula-